QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XIX. NOVEMB. M. IACOBO CORNVTY DOCT. MED. MODERATORE.

688.

An à bile Insania?

MENS hominis pars princeps, actionum præstantissimarum effectrix. Ἀναλλοίωτος, ἄφθαρτος, ἀκήρατος. Proinde morborum omnium secura. Pro nexu tamen quo corpori (morborum compendio) alligatur, quatitur omni perturbationum tempestate: ex variâ spirituum putrescentium labe, & humorum vitio. Offunditur melancholiæ mephiti? mœret, metuit. Occupatur nimiâ sanguinis copiâ? ridet, stupet. Premitur pituitæ grauitate? torpet. Bilis œstro percellitur? ferocit, insanit: vt Insania sit continua, à bile, mentis alienatio, sine febre: nusquam pituitâ, sanguine: hic enim sapientiæ comes est, vt desipientiæ melancholia.

MANIA leuior penes mores æstimatur: grauior penditur actionum læsione. Vna tamen vtriusque causa, quam acer animalium sector Democritus inquirit. Illa, valetudinem integram. Hæc, culpatam adeò comitatur. Huius flaua, aspera, sicca, vstulata lingua, humoris nota. Somnus perturbatus, horrenda spectra, oculorum toruitas, stridor dentium, cubiti dextri (non sinistri) pulsatio, affectus signum. Atrophia, macies, contabescentia, desperatæ symptomata. Mania intenditur? Ectasis est. Triplex, ἁπλῶς, συνοῦσα φρενιτικῇ. Omnis à cerebro: indito humore oppresso, aut elato ab hypochondrio (cuius pulsatio, dolor, tensio) indices: aut tetro halitu ab vteri saburrâ: in mãmis collecto sanguine: Stomachi nauseâ, quam præcessit diætæ vitium, aut copiâ laudabilium, aut qualitate noxiorum, aut vi specificâ contrariorum vsus, vt Solatri Dioscoridis.

ENIMVERO ἐπιγενομένων conditio est, præcedentis morbi referre naturam, in causâ, in signo, in effectu symboli. Peripneumoniæ, an Asthma? an Comati, Phrenitis? minime gentium. Pleuritidi, Peripneumonia; huic, Phrenitis; cui, Mania: vt Maniæ, Phrenitis, ex humoris consortio. Sic etiam crises natura in symbola molitur. Biliosis excretionibus, biliosos affectus soluit αὐτομάτως. Phrenitidi, confert vrina flaua, flaua deiectio: alba, nocet: quæ tamen leucophlegmatiæ salutaris. Hoc argumento Diarrhœa biliosa, dysenteria quoque à flauâ etiam ab atrâ, bile, Maniam soluunt. Nunquam varices Maniæ leuationem attulerunt. Hydrops superueniens funestus. Succedit tamen salubriter, & Paracentesim efflagitat. Phlebotomiam respuens. Abs re est hæmorrhois: salutaris nunc Ectasis, nunc funesta. Silentio comitata, sine ἀφωνίᾳ, periculum minatur, iuncta Phrenitidi, febrem accersit; quæ tanti est, vt excussæ Insaniæ superueniens, periculum faciat ὑποστροφῆς, in omni genere morbi, calamitosæ.

MANIAM non biliosi modo affectus consequuntur, sed & præcedunt. Fertur in delirium morbus? Maniam caue. Cuius, in Hepatitide, Peripneumonia, Phrenitide, suspicio, & verò biliosorum sectatrix febris acuta, vt Phrenitidem comitatur, ita & Maniam sequitur. Non humoribus solum insigni feruore affectis, vt Causo. Sed eximiâ putredine infectis, vt Pesti (Ægypto, & Tartariæ, ignotæ) purpuratis febribus, Variolis. Vnde lethalis affectus, tot naturæ pestibus vnitus, ex se licet periculi expers. Grauis tamen omni ætati, Iuuenibus familiaris: senibus perrarus: Nigritis, Æthiopibus gentilitius: Canum generi frequentissimus: non quauis anni tempestate; cœli, solique plagâ: sed æstate, cùm torret Syrius agros, qui corporis humores, in bilem adurit, immanitatis & ferociæ parentem.

OMNI ergo curâ atque operâ calida fugienda: ne aqua temperiei superetur ab igne: mutatio locorum, victus, & ætatis confert: Inambulationes fugiendæ: Aër, an lucidus? an calidus concedetur? vinculis coercebuntur? an vrbe vagabuntur? negat vtrumque ratio. Somnus omni arte concilietur: omni horâ, omni tempestate commodus. Vinum vt τετυφωμένους, ita & furiosos non minus creat Ocimo, Capellæ cerebro: Pisces carne salubriores: inter medicamenta Melampodio vtere, Been Arabum. Procul venus: nocent Phyltra: Pyroticis artus, caput inurantur. Refrigerãtia omnia, odoramenta, assumpta, admota, sunt ex professo: num tundenda vena? Basilica sæpius. Saphena, genuinæ, neutiquam. Nothæ, plerumque. Demùm, eadem Insaniæ ac Phrenitidis curatio.

Ergo à bile Insania? 134

Proponebat Lutetiæ NICOLAVS BRAIER Castrithierricus, Anno R.S.H. M.DC.XXVI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Joannnes Berault.
M. Franciscus Mandat.
M. Franciscus Quiquebœuf.

M. Claudius Lienard.
M. Renatus Moreau.
M. Dionisius Allain.

M. Petrus Seguin. M. P. R.
M. Petrus Pijart.
M. Philippus Arduyn de S. Jacques. A. M.